



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Canon VIII. Casus Vide Ibi Remissive.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

C A N O N V I I I.

PAULUS QUARTUS *Constit. XIX. §. 4. Bull. Rom. Tom. I.*

Ann. 1559.

CUM ex Apostolatus officio: *Et infra*. Et qui Juspatronatus, aut nominandi Personas idoneas ad Cathedralis, etiam Metropolitanas, & Patriarchales, Primatiales Ecclesias, seu Monasteria, vel alia Beneficia Ecclesiastica, per privationem hujusmodi (*nimirum ob hæresim*) vacantia, habere prætenderint, nè illa diutinæ vacationis exponantur incommodis, sed de servitute Hæreticorum erepta Personis concedantur idoneis, quæ illarum Populos in semitas justitiæ fideliter dirigunt, teneantur ad Ecclesias, Monasteria, & Beneficia hujusmodi alias Personas idoneas infra tempus à jure, vel ex eorum concordatis, seu compactatis cum dicta Sede initis statutum, nobis, seu pro tempore existenti Romano Pontifici præsentare, alioquin tempore hujusmodi elapso, plena, & libera Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum dispositio ad nos, & Romanum Pontificem prædictum, eo ipso pleno jure devolvatur.

C O M M E N T A R I U M.

EX hoc Canone hæc infertur conclusio.

PATRONUS AD BENEFICIUM PATRONALE PROPTER HÆRESIM BENEFICIATI VACANS, TENETUR INFRA LEGITIMA TEMPORA ALIAM PERSONAM IDONEAM ROMANO PONTIFICI PRÆSENTARE, ALIAS ELAPSO TERMINO PROVISIO BENEFICII OB HÆRESIM VACANTIS LIBERE DEVOLVITUR AD SEDEM APOSTOLICAM = Hanc conclusionem probant etiam omnes illæ auctoritates superius relatæ. *Par. III. Can. unic. in Commentario*; ubi deductum fuit, vacato Beneficio Patronali, Patrono Ecclesiastico competere semestre, Laico verò quadrimestre ad præsentandum.

- 1 Nulla fuit tam barbara gens, quæ desertores propriæ Religionis, & ejus violatores debitæ non compesceret pœnis, uti testatur Seneca *lib. 3. de benef. cap. 6.* ibi = *Violatarum Religionum aliubi, atque aliubi diversa pœna est, sed ubique aliqua* = Inter pœnas, quæ à Jure Canonico infliguntur, & imponuntur Hæreticis Fidei Catholicæ desertoribus, & violatoribus; quod attinet ad nostram materiam; non solum est illa, quod Hæretici ad Beneficia præsentari non possint; *Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 1. quæst. 9. art. 6. nu. 1. Vivian. eodem tractat. par. 2. lib. 6. cap. 5. nu. 66.* Verum etiam, quod priventur omnibus Dignitatibus, & Beneficiis Ecclesiasticis; ita enim statuitur in *cap. Ut commissi de Hæreticis in 6.* ibi = *Privandi propterea, vel privatos nuntiandi Dignitatibus, ac aliis Beneficiis Ecclesiasticis, de Diœcesanorum, vel eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuscumque eosdem hæreticos, credentes, receptatores,*

ptatores, & defensores ipsorum, eorumque filios, & nepotes, plenam concedimus facultatem = Et à Nicolao III. in ejus *constit. la 2. Bull. vet. tom. I. fol. 30. ibi* = Hæretici autem, & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu officium admittantur, quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis acquisitis, volentes, ut tales, & habitis perpetuò careant, & ad alia similia nequam in posterum admittantur = & tradunt Garz. de benef. par. II. cap. 10. §. I. nu. 59. & seqq. Covarruv. var. resol. lib. 2. cap. 8. nu. 4. Passerin. in dicto cap. Ut commissi de Hæret. in 6. Paulus IV. in hoc Canone confirmavit hujusmodi pœnam privationis beneficiorum à jure impositam hæreticis; & ulterius reservavit beneficia per hæresim vacantia S. Sedi Apostolicæ, quæ reservatio fuit etiam renovata à D. Pio V. in ejus Bulla la 29. & à Gregorio XIII. in ejus Bulla la 66. Bullar. Rom. nov. tom. 2. & insuper injunxit Patronis, ut intrâ legitima tempora, nimirum intrâ semestre, aut quadrimestre præsentarent ad illa Romano Pontifici Personas idoneas, aliàs libera eorum collatio devolvatur ad ipsum Pontificem, nè Beneficia ob hæresim vacantia diutinæ vacationis exponantur incommodis.

Quo ad hanc conclusionem vide, quæ dixi dicta Par. III. Can. unic. ubi plura, quo ad terminum à jure præfixum Patronis ad præsentandum concernentia, examinavi.

C A N O N I X.

PIUS QUARTUS *Constit. LXXXV. Bull. Rom. Tom. 2.*

Romanum Pontificem: *Et infra*. Sanè licèt dudum, Ann. 1564.
 cùm certam simoniacæ pravitatis speciem, quam Beneficiorum confidentiam vocant, etiam Romanæ Curia, atque adeò in Sacrum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegium, quasi per Cuniculos irrepssisse, ac nonnullos ex ipsis Fratribus nimia quadam facilitate, seu potius importunis Amicorum, Familiarumque precibus adductos, Beneficia Ecclesiastica in confidentiam hujusmodi recepisse, & frequenter recipere intelleximus, hanc illicitam beneficentiæ exercendæ, seu amicitia colendæ viam à tanto saltèm Collegio prorsus eliminare cupientes, eosdem Fratres in Consistorio nostro secreto, non semel admonuerimus, huic aliena Beneficia custodiendi modo nè assuescerent, nè illa hoc pacto reciperent, neque sic recepta admitterent, nihilominus nuper ad aures nostras pervenit eorum aliquos, monitionis nostræ, imò potius suimet oblitos ea, quæ custodienda acceperant Beneficia, nondum tamen dimisisse; Et insuper illos, & nonnullos alios etiam Patriarchas, & Archiepiscopos, & alios
 Episco-